



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

14. Aliud Argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

421 Dicunt aliqui præcedere posse ex parte hominis, vel Angeli aliquam non resistantiam, qua se aliquomodo disponat ad prædeterminationem.

422 Sed contra & interrogo quid sit hæc non resistantia: si est actus positivus, redeunt argumenta supra facta, quia ad hunc etiam actum prærequiritur prædeterminatio; si est negatio alicuius actus reflexi, quo dicat homo nolo converti, redeunt etiam argumenta facta, quia multi non habent actum reflexum, & tamen non datur illis prædeterminatio.

423 Item ad omittendum hunc actum reflexum, necesse est non prædeterminari ad ipsum; ad carentium autem hac prædeterminatione rursus prærequiritur alia non resistantia, & sic in infinitum, vel venire debes ad aliquam prædeterminationem, vel carentiam prædeterminationis, quæ nullo modo fuerit in hominis potestate.

424 Denique contra has omnes solutiones hoc modo argui potest, quod si tota carentia auxilij efficacis imputatur homini, quatenus per priora peccata vel omissionis, vel commissionis, indisposuit se ad prædeterminationem: ergo tunc solum formaliter peccavit homo, quando apposuit illud impedimentum auxilio efficaci, non postea quando elicit actum odij, verbi gratia, sicut qui proicit brevium in mare, tunc peccat formaliter quando ponit impedimentum precibus crastinis, & licet on illo crastina imputetur etiam ei, quia dedit causam, sed tamen eras non addit novam malitiam formalem, sed solum denominationem ex causa præcedenti iuxta communem, & veram Theologorum sententiam, quia posita illa causa iam non potest impedire effectum; si ergo qui resistit, seu impedit prædeterminationem per aliquam omissionem antecedentem, tunc peccavit formaliter quando apposuit illud impedimentum; postea vero, quando ex defectu prædeterminationis omittit Sacrum verbi gratia, non peccavit, nisi denominatione quia posito illo impedimento præcedenti iam, non potest vitare effectum.

425 Propter hæc alii ex adversariis iam tandem dixerunt auxilium physice prædeterminans posse obtineri ab homine per actum ipsum ad quem datur prædeterminatio, ita ut detur mutua prioritas inter prædeterminationem, & actum, sicut aliqui dicunt dari inter habitum charitatis, & actum contritionis: sed hæc solutio iam satis reiecta manet, ac funditus labefacta.

SVBSECTIO XIV.

Aliud argumentum ponitur.

426 Probatur sic, quia licet omnis amor charitatis Dei sit supernaturalis, & maximæ perfectionis, omnemque actum meritum in excellentia superet, nihilominus, quia procedit ab homine physice prædeterminato ad illum per lumen gloriæ & per visionem Beatificam, sine eo quod situm sit in sua potestate non facere illum, nec possit suspendere talem actum minime est meritorius: sed per vos omnis actus charitatis, fidei, spei, & aliarum virtutum, quæ in via sunt, fluuntque ab homine physice prædeterminato ad unum sine eo quod possit talis homo

resistere tali prædeterminationi, aut non facere id ad quod prædeterminatur non est meritorius: ergo nullum datur opus virtutis meritum vitæ æternæ in via secundum vestram opinionem, quia non est maior ratio in his operibus quam in amore Charitatis Beatifico, ut sit meritorius vitæ æternæ, ut patet ex paritate rationis inter hunc actum & illum, inter hanc prædeterminationem, & illam.

Dices cum Albelda tom. 1. prima partis, disp. 427 § 7. sect. 3. art. 8. dari duplicem prædeterminationem, prima est quam vocat naturalem seu per modum naturæ, & hanc ait tollere vsum voluntatis. Secundus modus prædeterminationis est, ut denotet promotionem intrinsecè inherentem voluntati habentem intrinsecam virtutem realem ad inclinandum illam, ut infallibiliter Deo vocanti consentiat, & hic modus non tollit libertatem, & comparitur cum vsum meritorio, & primus modus potest dici convenire prædeterminationi Beatorum, ac proinde non esse meritorium actum amoris elicitum à tali physica prædeterminatione. Secundus autem modus poterit accommodari physice prædeterminationi, qua prædeterminatur homo eliciens actus virtutum in via, ac proinde esse liberos, & meritorios.

Sed contra primo, & interrogo quid significet illa vox prædeterminatio naturalis, vel per modum naturæ, quia hæc vox naturalis hic, vel sumitur prout opponitur supernaturali, & in hoc sensu est falsa solutio adversariorum, quia auxilium efficax est ad eliciendum actum charitatis supernaturalem, & physica prædeterminatio voluntatis ad talem actum, & nihilominus est supernaturalis; ergo vox illa naturalis non sumitur eo sensu, quo naturale opponitur supernaturali. Vel sumitur naturale prout opponitur præternaturali, & in hoc sensu etiam secundus modus prædeterminationis dicitur naturalis, quia non est præternaturalis; unde in hoc sensu non potest dici naturalis prædeterminatio illa principia, siquidem per illam particulam intendunt adversarii discriminare primum modum prædeterminationis à secundo, aliis eadem esset ratio convenientiæ & differentiæ respectu eiusdem quod est impossibile, vel sumitur naturale prout opponitur libero, ac per consequens conuertitur cum necessario, ita ut idem sit naturalis prædeterminatio, ac prædeterminatio necessario inducens actum, sine eo quod possit homo non operari, supposita physica prædeterminatione, & in hoc solo sensu videntur loqui adversarii, sed sine dubio, si in hoc sensu loquuntur committunt evidentissimam petitionem principij, quia nos asserimus per physicam prædeterminationem, secundum ordinem necessariæ actionem prædeterminatam ad quam dirigitur talis prædeterminatio, quod ex omnibus argumentis supra positis patet. Ex quo colligimus talem prædeterminationem esse necessariam, & non liberam his, ac proinde dicimus non distinguere à prima, quia sicut posita prima necessaria sequitur actus, ita posita secunda.

Respondent adversarii dicentes, primam prædeterminationem esse necessariam, & non secundam, quia prima est naturalis, & per modum naturæ. Secunda autem non. Dum autem interrogamus quid sit naturale, Respondent esse necessarium; unde idem est ac si responderent, ideo esse necessariam prædeterminationem, quia necessaria est, sicut si ego interrogarem, quare gladius

est ferreus, & responderes, quia est gladius, & ensis, & sic est idem per idem respondere, & reddere pro ratione tuae conclusionis tuam ipsam conclusionem, quod nihil est aliud, quam petere manifeste principium.

430 Amplius virgo, ideo prima tollit libertatem, quia est naturalis & per modum naturae, & ideo est talis, quia secum rapit voluntatem, ita ut non possit ei resistere voluntas ratione cuius operatio sequitur à tali praedeterminatione, sed secunda etiam rapit voluntatem ita ut ei non possit resistere voluntas, ac per consequens sequitur necessario operatio ab ea; ergo est naturalis, & per modum naturae, ac proinde sine dubio destruit libertatem.

431 Minorem sic proba Aduersariorum verbis, & primo verbis Bañez 1. par. q. 14. art. 13. dub. ultimo, versus autem explicamus, ubi de causa prima sic ait: quia ita determinat omnes causas secundas ad suos effectus producendos, quod nulla causa secunda potest exire, & discedere ab eius determinatione, & quest. 23. art. 5. ad septim. sic dicit. Itaque suauiter quidem sed efficaciter Deus mouet voluntatem, nec effectus Diuinae voluntatis impediri potest à voluntate nostra; nostra enim voluntas non potest praedeterminationi Diuinae resistere, & art. 3. dub. 3. in solutione ad sextum, sic ait: ipsamet concurrentia liberi arbitrij effectus est necessario consequens necessitate dicta ex Diuino auxilio efficaci.

432 Secundo probatur verbis Nauarrete *tom. 2. controuers. 19. §. 10. & controuers. 21. §. 3. non longe à fine*, supposita (inquit) praemotione physica, necesse est quod voluntas operetur actum, ad quem praemouetur, & non potest contingere quod voluntas non operetur talem actum: ecce praedeterminantes Thomistae concedunt, tum voluntatem non posse abjicere praemotionem; tum non posse dissentire Deo physice praedeterminanti &c.

433 Deinde Ledesma multis in locis asserit necessario coniunctam esse operationem causae secundae cum physica praedeterminatione. Alvarez item asserit necessario sequi actum secundum ex positione physice praedeterminationis.

434 Id autem quod asserit Albelda, nempe auxilium illud habere infallibilitatem certum est; sed cum hac infallibilitas, ut supra late demonstrauimus non supponat usum liberi arbitrij, sed potius antecedit illum quia rapit voluntatem, absolute tollit libertatem illius: unde tota hac solutio, potius est elusio vocabulorum, quam vera eualio & sic nullo modo soluit argumentum.

435 Confirmatur, quia si huiusmodi praedeterminatio est necessaria nobis ad amandum Deum amore supernaturali charitatis, non est in nostra voluntate, nisi id tantum velle, quod Deus vult nos velle, quod si hoc ita est, sequitur ulterius, nos necessario simpliciter amare Deum, ac proinde non mereri vitam aeternam cum tali amore.

436 Haec vltima consequentia certissima est, quia necessarijs nec meremur, nec demeremur. Secunda autem illatio patet, quia quando aliquid determinatum operatur voluntas, ita necessario dependenter ab aliena voluntate, non libere, sed necessario, & sine libertate operatur, ut patet in amore supra posito Patriae qui non procedit libere, quia voluntas determinata operatur illum, ita dependenter à voluntate Diuina infundente lumen gloriae, & visionem beatificam, ut non possit non operari illum, sed voluntas supposita physica praedeterminatione ita operatur determinate illum amore charitatis, ut non possit non operari il-

I. P. Tom. II.

lum, propter dependentiam necessariam nostrae voluntatis à voluntate diuina praedeterminante voluntatem nostram: ergo operatur illum amorem necessario absolute.

Vltima sequela est manifesta, quia tota moralitas meriti ita fundatur in indifferentia opposita necessitati, ut cum necessitate, & sine indifferentia non possit reperiri moralitas meriti in actibus humanis, ideo enim nutritione, & augmentatione non meremur, quia nutritio & augmentatio sunt actiones necessariae; item nec visione, & amore beatificis possumus mereri, quia necessitatem habent, & non gaudent libertate: ergo.

Prima sequela est clara, quia nos non praedeterminamur, nisi ex voluntate Diuina, & solum ex illa; item post praedeterminationem non possumus operari, nisi id, ad quod praedeterminamur ex sola voluntate Diuina: ergo de primo ad vltimum si praedeterminamur ad amorem Dei, non possumus, neque est in nostra potestate, nisi id tantum velle quod Deus vult nos velle necessario, hoc est amorem Dei producere.

Aliud incommodum maximum sequitur ex sententia praedeterminantium, videlicet hominem peccare etiam damnabiliter in eo quod vitare non potest, quae sententia à Pio quinto, & Gregorio decimo tertio damnata est. Hoc sequi probatur, quia si virgente pracepto Diuino ad sui obseruationem, illud non seruet, vel impellente tentatione consentiat in malum peccat damnabiliter, ut optime docet Pater Lessius, & tamē si tunc gratiam illam ex se efficacem, quae illum determinet ad obseruandum praceptum, & ad resistendum tentationi non habeat, non potest vitare, quin praceptum violet, & tentationi succumbat.

Confirmatur primo, quia impossibile est ut seruet praceptum, vel ut resistat tentationi sine auxilio determinante, cum vtrumque sit opus bonum, quare cum auxilium tale non habeat, nec in potestate eius sit tunc habere, vitare non potest quin à tentatione vincatur, & praceptum frangat.

Secundo confirmatur, quia nisi Deus determinet me ad praceptum seruandum, & ad tentationi resistendum, infallibiliter deficiam, & peccabo, adeo ut ex eo solo, quod Deus scit se non decreuisse voluntatem meam ad haec determinare certo praesciat me tali tempore, & momento, tali peccato peccaturum, ut ipsi docent, quod sane iuxta illos certo scire ego absente illa determinatione in hoc euentu deprehensus ita sim ad peccatum determinatus, ut illud vitare nequeam, si enim vitare possent, iam non certo ex sola denegatione auxilij determinantis sciri posset me in hac peristati rerum tali momento peccaturum.

Addo omnes actus posituios, quibus tentatio non consentitur, & pracepta negativa violantur, iam ab aeterno fuisse praedeterminatos, ut fierent cum omnibus suis circumstantiis, & ne forte aliquo casu omitterentur, fuisse etiam praedeterminatos impulsus, seu motiones physice praedeterminantes ad illos, ut ipsi tradunt, quomodo igitur vitari possunt? quod si illi positui actus vitari non possunt etiam peccatum, & malitia moralis necessario in iis resultans, dum sunt ab homine rationis compote vitari nequit, uti igitur homo in his non peccabit, vel peccabit in eo quod vitare nequiuit, unde ulterius colligitur iniquam & immeritam fore hominum damnationem, & Deum crudelem, qui hominem aeternis addicat supplicijs ob ea quae vitare non potuit.

Deinde sequitur Deum deserere hominem ini-

PPP sum,

Actum, antequam deferatur, deferit enim qui in tentatione, & pugna hominem relinquit, auxilium necessarium non suppeditans, nam cum physica prædeterminatio sit necessaria ad non peccandum, & ea sola dependeat ex voluntate Dei, si Deus non tribuit illam signum evidens est hominem deferere Deum, ut peccet, qui antequam peccaret iustus erat.

SVBSECTIO XV.

Alio argumento nostra conclusio probatur.

444 **S**upponimus Deum non esse proprie causam nostri peccati, quod late demonstravimus anno superiori materia de peccatis ex mille Scripturæ locis, & Patrum testimoniis, ultimo denique ex definitione Tridentini, *sess. 6. can. 6. ibi*: [Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium opus eius, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli anathema sit.] Quibus accesserunt rationes theologice, & naturales, quibus hoc manifeste probatur.

445 **H**oc supposito impugno prævium concursum Dei prædeterminantem efficacissime, etiam ex hoc capite, quia si nostra voluntas non potest aliquid operari nisi prædeterminata à Deo: ergo quoties peccat, non peccat, nisi prædeterminata à Deo ad illum actum eliciendum, concedunt consequentiam aduersarij, licet aliqui eorum Sectatores in hoc puncto ab illis discedant, malunt enim minus consequenter loqui, concedentes prædeterminationes ad actus bonos, & negantes ad actus malos, quam concedere in utrisque; & merito, vident enim egrè posse hoc explicari, quin sequatur Deum prædeterminantem ad actum odij esse causam peccati, & peccatum esse proprium Dei opus, neque esse in potestate hominis vias suas malas facere, ac proinde non sit minus proprium opus Dei proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, quæ omnia non solum sunt contra Tridentinum, sed contra manifestissimum lumen nostræ rationis. Quare quidem Blasius Verden. & ipse Dominicus in relectione de efficacia Divini auxilij parte 1. fol. 54. *conclus. 13.* habet hæc verba: [Ad opera moraliter mala Deus non prædeterminat nostram voluntatem, & oppositum, asserere impium est, & blasphemum.] Et postea fol. 55. *conclus. ultima*, explicat se etiam loqui de peccato pro materiali, his verbis: [Nec prædeterminat nos Deus ad actum peccati, etiam si consideres substantiam actus pure materialiter, nam est mouere saltem indirecte, & per accidens ad peccandum, quod Deo repugnat.] Hæc ille, sed tamen fere alij omnes communiter concedunt hominem non posse elicere actum odij liberi, nisi ex prædeterminatione Dei, contra quos procedit hoc argumentum.

446 **C**ommanis solutio huic difficultati hæc est, in peccato distingui debere materiale, & formale, ad materiale pertinet entitas physica ipsius actus; formale vero est malitia, seu deviatio à regula rationis & à lege, quæ est in actu malo; Deus itaque prædeterminat ad materiale, causat materiale, vult materiale, non prædeterminat ad formale, non causat, non vult: Aduerte tamen nomine materialis, non intelligi ab his auctoribus actum nostrum secundum aliquam rationem communem volitionis ut sic, sed decretum natam, & indiuiduam ad esse

huius volitionis, alioquin non prædeterminatur voluntas ad talem actum, & per consequens ipsa sola voluntas se determinaret ad talem actum, in quantum talem, quod esset contra principia eorum auctorum, qui acriter negant posse prodire à principio indifferenti aliquid determinatum, sed debere ipsum principium æque determinatum ad effectus præsupponi.

Dicent itaque Deum prædeterminare ad actum odij, & Deum determinate velle quod fiat actus odij, non tamen velle quod sit malus ille actus; imo sub nomine materialis non solum intelligitur actus ille, propterea hic actus odij, sed etiam propterea est actus liber, & prædeterminat Deus ad actum liberum odij, dicunt enim Deum esse causam, quod homo eliciat hunc actum cum omnibus suis circumstantiis, ita Albelda *diff. 24. n. 21*. His verbis: [Ad quantum negamus ex nostra sententia sequi quod Deus sit author peccati, nam licet sit prima radix, & causa, quod homo hic, & nunc cum tali aduerteria rationis, habeat volitionem circa hoc obiectum contrarium rationi, in quantum volitio est actio, non tamen est causa, quod homo deicienter velit illud obiectum; sed eiusmodi deficientia in creatam dumtaxat voluntatem referenda est, concedunt ergo Deum prædeterminare ad hunc actum, ut liber est, hoc enim est fieri cum aduerteria rationis, & merito, quia Deus vult, & causat quod nunc homo aduerterat ad præceptum, & ad malitiam obiecti, & Deus vult hic, & nunc, quod homo velit hoc obiectum: ergo Deus vult, quod homo velit nunc hoc obiectum, quia velle nunc libere non est aliud, quam velle obiectum, & aduertere ad præceptum, vel ad malitiam, seu velle cum aduerteria: ergo si Deus vult aduerterentiam, & volitionem, vult etiam Deus quod homo velit libere, sed tamen dicunt non vult Deus quod volitio obiecti sit mala, & peccaminosa, ideo non prædeterminat, non causat peccatum formaliter loquendo.

Hæc solutio ex ipsis terminis, quibus proponitur, 448 impugnari potest, Repugnat enim Deum velle quod actus odij fiat hic, & nunc libere à Petro, & prædeterminare ad hoc, & tamen nolle quod ille actus sit malus, vel quod Petrus peccet in eo actu; Deus enim malitiam esse aliquid consequentum ad entitatem positivam illius actus ut liber est, quod tamen falsum existimant aduersarij, quid enim est, inquit, illum actum esse malum, nisi esse actum liberum elicitum repugnante ratione, adhuc tamen, prædeterminat ad illum actum liberum odij, & qui vult illum, vult etiam fieri peccatum, & causat illud.

Nec enim homo alio modo causat malitiam for- 449 malem odij, nisi ponendo entitatem positivam, & actum liberum determinate quoad materiale, imo ipse homo non vult formalem malitiam, sed potius vult poni fornicationem, & furtum sine malitia formali, sed tamen quia posito materiali sequitur necessario malitia; inde est quod homini volenti materiale imputetur etiam malitia odij, vel furti, & homo dicatur auctor malitiae, neque malitia potest non materialiter, sed formaliter causari, nisi ponendo materiale, ad quod necessario malitia consequitur; cum ergo Deus causet, & velit totum materiale, & totum actum liberum furti determinate volendo, & prædeterminando voluntatem ad hanc entitatem actus furti hic, & nunc, merito dicetur author malitiae, quæ ad illi actum illud commune axioma, qui est causa causæ, est causa causati, quando scilicet causa volita talis est, ut ad eam necessario consequatur effectus, tunc enim qui